

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

hostibus. Vt patet Exod. 17. v. 13. Num. 21. v. 3. & 34. Num. 31. v. 7. Deut. 3. v. 3. Et toto libro Iosue. Victoria illa à Deo fuit. Is sæpius hostes fudit fugauitque suo tantum gladio diuino, id est, miraculose. Vt cum per grandinem debellauit Amorrhæos Jos. 10. vers. 11. & similibus aliis multis modis.

Loc vs. Spiritualiter semper Dominus id beneficii præstat suis electis, vt victores euadant debellatis hostibus crudelissimis, Satana, inferno, peccato, &c.

Ipse primum debellauit hos Os. 13. v. 14. Deinde nobis arma subministravit, Ephes. 6. vers. 14. Pugnauit pro nobis. Et victoriam nobis largitur. 1. Cor. 15. v. 57. 1. Joh. 2. v. 13. & 4. vers. 4. Consolatio est hæc maxima. Admonitio simul, vt grati simus.

F I N I S.

T H E M A X V I.

Ios. 23. & 1. Reg. 2.

Ecce ingredior viam vniuersa carnis.

Dispositionem horum Thematum, vide supra in parte 1. Promptuarii huius, Classe 1. Num. 5. pag. 18.

T H E M A X V I I.

Iudic. 5. v. 31.

Qui diligunt te (Domine) sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent.

D I S P O S I T I O.

Epiphonema hoc est adiectum in fine istius carminis, quod decantatum fuit à Debora Prophetissa, post deictum Sifferam, Ducem exercitus Regis Chanaanæ Jabin, qui afflixerat Israelitas annis viginti.

Periit autem Siffera, (qui contra Israelitas non gentos currus falcatos eduxerat) per manum Israelis vxoris Heber, quæ ipsius tempora clauo transfidens, caput terræ

terraz affixit. Eoque sic oppresso, eversa est omnis potentia Regis Jabin. Hanc victoriam grata mente agnoscens prophetissa Debora, carmen hoc capite descriptum composuit. Deum que Israelitarum celebrauit.

In fine autem hoc addidit votum: vt sicut Sissera peritit, sic etiam pereant omnes inimici Dei.

Contra vero precatur, vt, sicut Sol lucidissimus, splendean omnes diligentes Dominum. Hoc postremum membrum habet aliquid in recessu. Est itaque diligenter enucleandum. Neq; vero est vt putemus anilia hæc esse, à muliere cum sint profecta. Cum enim Prophetissa sit Debora Jud. 5. vers. 4. nullum est dubium, quia dictante hæc Spiritu sancto decantarit: adeoque ad doctrinam & consolationem nostram isthæc scripta sint. Quia autem sermo est de diligentibus Dominum, primum ostendendum erit, quoniam sint illi, qui Dominum diligere dicuntur.

Deinde quantam illi gloriam à Domino sperare possint, dispiciendum. Vfus horum subiiciendus.

I. Pars.

Cum hoc omnibus mandatam sit diuinitus, Dilige Dominum Deum, Deut. 6. v. 5. & 10. v. 12. & 11. v. 13. & 19. v. 9. & 30. vers. 16. Nemo est, qui non velit videri diligens Deum. Hinc pleriq; illud in ore habent. *Der liebe Gott.* Et recte quidem hoc diceretur, si cor esset sincerum, quale Dauidis, dicentis: Diligo te ex corde Deus, Psal. 18 v. 2. Et Petri, Tu scis Domine quia diligo te. Joan. 21. v. 16.

At de nonnullis legimus quod oderint Deum, Exod. 20. v. 5. & Deut. 5. v. 9. *Qui me oderunt.* Deut. 32. v. 41. Retribuam his, qui oderunt me. Idem de Deo Dauid Psal. 21. v. 9. De hostibus Dei; Psal 83. v. 3. Psal. 139. v. 21. Odi eos qui oderunt te.

Non itaque est dubium, quin multi seipso decipiunt. Operæ autem erit pretium, inquirere & cognoscere eos qui diligunt Deum. Horum vero quæ sit nota, clare

patet ex Psal. 97. v. 10. Qui diligunt Dominum, oderunt malum. Et Joan. 14. v. 15. & 21. & 23. Qui me diligit seruat praecepta mea. Et qui praecepta seruat, hic est qui diligit me. Huic respondet id Syr. 2. v. 19. & 20. Qui Deum diligunt seruant mandata. Et Deut. 11. v. 22. & 19. v. 9. Semper coniunguntur, diligere Deum & seruire mandata eius Idem 1. Joan. 5. v. 3. confirmatur. Hinc facile est colligere, quinam sint diligentes Dominum, pii scilicet, qui ambulauit in praeceptis Domini, & faciunt voluntatem ipsius, vel (breuiter) qui faciunt bonum, & oderunt malum.

Ceteri omnes pro inimicis Dei habentur. Si enim non odissent eum, non facerent malum, quo Deum minime delectari norunt ex Psal. 5. v. 5.

II. Pars.

Iam quid inde commodi sentiant pii, si diligant Deum excutiamus. Si enim ipsis haec dilectio non esset emolumento: Et vicissim si hi qui oderunt Deum, nihil sentirent damni, perinde esset, vel diligere vel odisse Deum. At qui Deum diligunt, erunt sicut splendor solis orientis. Sol vero oriens ornamentum altissimi dicitur, Syr. 26. v. 21.

Hoc ergo vult, Deum ipsos gloria & honore ornaturum, non in hac tantum vita, sed etiam in altera.

I. Et sane in hac vita mercedem accipiunt amplissimam diligentes Deum: sicut scriptura id passim exprimit.

1. Etenim custodit ipsos Dominus, Psal. 145. v. 20. ne à malis absorbeantur.

2. Facit misericordiam cum ipsis in multas generationes, hoc est, benefacit ipsis & posteris. Exod. 20. v. 6. Deut. 5. vers. 10.

3. Seruat illis pacta & promissa Deut. 7. v. 9.

4. Et summatim comprehendit omnia Paulus, Rom. 8. v. 28. Diligentibus Deum omnia cooperantur, &c.

II Neque vero tantum in hac vita ipsis benefacit Dominus, sed maiori gloria ornabit in altera,

Ibi

Ibitum splendori firmamenti erunt similes & sicut sol
rutilabunt; sicut Daniel eadem vsus similitudine docet,
Dan 12. v. 3.

Hoc est quod Jacob. 1 v. 12. & 2. v. 5. dicitur, diligentib⁹
Deum paratam esse coronam vitæ & regnum. Paulus 2.
Tim. 4. v. 8. omnibus diligentibus aduentum Domini
promittit coronam.

Quæ maior gloria possit esse: Hic honor omnem regi-
am maiestatem longo post se intervallo relinquit.

V S V S.

Cum itaque videamus, charissimi, in quanta gratia
apud Deum sint, qui diligunt eum, adeo vt Paulus nihil
illis optet, præter gratiam Dei Ephes. 6. v. ultimo (quæ
illis potest esse sufficiens 2. Cor. 12. v. 9.) agite, diligam⁹
& nos Deum Dominum nostrum. Sicut hortatur nos
Psalm. 31. v. 24. Diligite Deum omnes sancti eius. Et quid
ni: Diligamus Deum factorem nostrum, (Syrach. 7. ver.
32.) ex omnibus viribus. Quo nomine Dauid commen-
datur, Syrach 47. vers. 10. Nec creator tantum est, sed &
conseruator, benefactor atque redemptor 1. Joan. 4. ver.
19. qui prius nos dilexit: & sic dilexit, vt vnigenitum Fili-
um daret Joan. 3. vers. 16. 1. Joan 4. v. 9. & 10. Maiorem
charitatem nemo habet. Joan. 15. v. 13. *Et hais frenlich
vmb vns verdienet.*

Quia autem Deus non acquiescit verbis, & non fucata
illa dilectione contentus est, sed cor & opera requirit,
diligamus ipsum, non verbis, sed opere, vt seruemus
mandata. 1. Joan. 5. v. 3.

Ideoq; ipse interdum probat nos, vtrum diliga-
mus ex corde, sicut habetur Deuter. 13. v. 3.

exemplo est Abrahamus, Genes. 22.
vers. 1. *Der heil die
Prof. &c.*

FINIS.

THE-